



Nf. 24.





29  
PROGRAMMA SACRVM,  
QVO  
ACADEMIÆ FRIDERICIANÆ  
PRORECTOR  
SIMON PETRVS GASSER,  
POTENTISSIMO PORVSSLÆ REGI A CONSILIIIS INTIMIS,  
BELLIC. AC DOMINIAL. IVRIVM ET RERVM OECONOMICO-  
CAMERALIVM PROFESSOR ORDINARIVS, ET SCABINA-  
TVS IN DVCATV MAGDEBVRGICO  
ADSESSOR,

VNA CVM  
CANCELLARIO, DIRECTORE  
AC PROFESSORIBVS  
RELIQVIS

CIVIBVS ACADEMICIS  
DIGNAM  
MORTIS ET RESVRRECTIONIS  
CHRISTI

MEDITATIONEM, *cc.*  
PASCHALIBVS FERIIS PIE INSTITVENDAM  
COMMENDAT. (*Pom. 1725.*)

HALÆ MAGDEBVRGICÆ,

Typis IO. CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr. 1732.



**F**erias paschales lætissimas esse, apud omnes, ni fallimur, in confesso est. Earum autem amoenitas, quod dolendum, in externis quaeritur rebus. In vernum enim tempus incidunt, quo terra, gelu per hiemem constricta, aperitur, radicesque arborum plantarumque, ante emortuæ quasi reuiuiscunt, denuo progerminant, ac lætam fructuum messem, æstiuo tempore ad autumnum vergente, terræ incolis promittunt. Hinc mortales lætabili isthoc naturæ renouandæ spectaculo, ex hibernis, in quibus rigida eos cæli tempestas deriuerat, prolecti, prata visitant, variis florum, plantarum, herbarumque generibus superbientia, oculis ea suis vsurpant, deque noua rerum *παλιγγενεσία* lætabundo gaudent animo. Quæ delectatio quamquam non improbanda esse videtur profus; quandoquidem primæ huius vniuersi creationis atque insectuæ exornationis imaginem exhibet luculentissimam, piamque de potentissimi conditoris pulcritudine, bonitate ac sapientia in spectantium animis excitare potest meditationem: eo tamen nomine reprehendenda est, quod homines his feriis plerumque teriantur, his otii otiantur, mente, corpore. Licet enim occupati sint in contemplanda rerum naturalium renouatione; non tamen, his præsertim feriis, de *germine* illo (a) ac *surculo* Dauidico, (b) antea per mortem arefacto, post vero tertium mortis diem e sepulcro suo, reuiscens ad instar flosculi progerminante, vberimosque suæ progerminationis fructus ad sera vsque tempora, imo ad æterna vsque tempora ostentante, cogitant.

Pium hoc foret negotium, feriis paschalibus dignissimum, pia foret meditatio, pia ad CHRISTI nostri, e mortis faucibus recepti, sepulcrum exspatiatio, si cum illa piensissimarum foeminarum triga, (c) sub diluculi illius, quod diem, salutis nostræ, per Christum nobis partæ & confirmatæ, aduexit, initium, nostræ gentis nostræque oblitæ familiz, hoc est, rerum mundanarum incurii & negligentes, mentibus e peccatorum veterno excitatis, ad illum contenderemus locum, Christumque in sepulcro antea reconditum, at sua ipsius virtute ex eo rursus prodeuntem, mirabundi contemplaremur ac tantum non attoniti! Agite igitur, *ciues Fidericiane nostræ carissimi*, ferias hæc, quod ad externas verni temporis rationes, lætas, ob germinis illius sanctissimi memoriam refluorescentis, multo, imo insaniis modis lætiores, nobiscum ita concelebraz, vt uno oculo Christum nostrum morti traditum, altero eundem e mortis ereptum vinculis, penfuculate pioque contueamini studio. Mementote nobiscum illius effati, quo magnus ille gentium doctor ferias paschales deuoto celebravit animo (d) *ὁς, inquietis, παρέδθη διὰ τὰ παραπτώματα ἡμῶν, καὶ ἠγέρθη, διὰ τὴν δικαιοσύνην ἡμῶν. Qui, Iesus, Dominus noster, traditus fuit propter delicta nostra, & resuscitatus est propter iustificationem nostri.* Hoc enim oraculo diuinus vir, irrefragabili velut testimonio,

(a) *Isrem. XXIII, 5, Zach. III, 8, c. VI, 12.* (b) *Ies. XI, 1.* (c) *Matt. XVI, 1.* (d) *Rom. IV, 25.*



nio, offendit, quas his diebus indictas habemus ferias, non nisi eiusmodi digne celebrari posse meditatione, qua intueamur Christum morti traditum vno, eundemque e mortuis expergefatum altero oculo. Et utrumque profecto salutare cum effectu fieri potest, si Christi mors nos morti tradat, eiusque vita nos vitæ, per Adæ lapsum deperditæ, restituat.

Expendamus autem hoc diuinum oraculum, ex reuelationis Spiritu, prout nos supponimus, prolatum, quo sensus eius, qui hic innolatus iacet, euoluatur: & quid praxeos christianæ ex eo percepto, in vitam nostram redundet, clarissimum euadat. Is, de quo apostolus loquitur, IESVS CHRISTVS est, *comm. 24. ὁ Θεὸς Ἰσραήλ, cap. IX, 5.* promissum mulieris semen, ac lætabile illud fidei Abrahamicæ obiectum, cui ille credens iustus esse declaratus, vti ex toto huius capituli IV. contextu luculentissime constat. De illo sanctissimus vir duo pronuntiat, *VNUM, ipsum fuisse traditum; ALTERVM, ipsum fuisse expergefatum* seu resuscitatum. Vtriusque illius pronuntiatii rationem causamque addit, atque *illud factum esse dicit διὰ τὰ παρωπώματα ἡμῶν* hoc autem factum esse scribit *διὰ τὴν δικαίωσιν ἡμῶν*. Quando ergo dicit, *Christum esse traditum*, verbum *παρεδόθη*, quod in fonte exstat, non actum illum Dei notat, quo is in æterno de salute nostra decreto, vnicum suum filium, humani generis redemptorem destinavit, eumque suo tempore in carnem misit, & hoc pacto generi humano, sub ira diuina laboranti, donauit. Eum enim actum sacri scriptores per *δίδωμι*, per *ἀποστέλλω* exprimunt: quamquam negari nequeat, hunc actum illius fundamentum actus fuisse, qui verbo *παρεδόθη* exprimitur. Quare, cum hic actus e diametro opponatur actui, quem verbum *ἔγειρω* exhibet, obseruandum esse censemus, verbo *παρεδόθη* actum inuolui *iudiciale* & *forensem*, quo iudex alicuius reum criminis ad pœnam, vel capitale supplicium, illi infligendum, tradit. Sensu ergo ampliore omnes illos actus connotat, qui in humanis institui solent iudiciis, quando capitale a reo supplicium sumitur. Proinde, quando Paullus dicit, *Christum traditum fuisse*, vnico illo verbo omnes illos actus, qui eius mortem tum præcedebant, tum sequabantur etiam, implicat, a sedulis sacrarum litterarum lectoribus explicandos. Demonstrat enim vno verbo apostolus, Christum prehensum & ad iudicium pertractum, alicuius criminis adcuratum, iudiciali formula condemnatum, ad capitale supplicium deductum, aliquid mortis genus expertum, in sepulcrum demissum, & aliquo temporis spatio illic detentum fuisse. Quorum momentorum si vberiore euoluioremque poscitis enarrationem, quatuoruiros illos adite, factorum dictorumque Christi nostri historiographos, qui optimi vobis erunt huius verbi *παρεδόθη*, tam ampli significatus, commentatores. At vero, non immerito quæritis: *quis ipsum tradidit?* quis eius iudex extitit? Equidem vero plures fuerunt eum *παρεδεδωκότες*, Iudas eius proditor, (a) summi populi Iudaici sacerdotes & literati, (b) Pilatus romanorum præses. (c) At illi tamen non potuissent ipsum mortis tradere supplicio, nisi IESVS nosser *τῆ ἀρισμένη βελῆ καὶ προγνώσει τῆ Θεῆ*, *destinato consilio* & *præscientia Dei* *ἔκδοτος* extradius fuisset, vt Petrus alicubi (d) loquitur. Quare oculi nostri ab hisce

)( 2

(a) *Matth. XXVII, 3.* (b) *ibid, comm. 2, & 10, XLX, 11.* (c) *ibid, comm. 18.* (d) *Act. II, 23.*



reſentis Chriſti traditoribus auertendi, & ad eum inprimis conuertendi ſunt, qui, vti omnibus humanis rebus ſuos fines, ab æterno conſtituit, ſic etiam in ſui cauſſa filii non otioſus fuiſſe cenſendus eſt. Is vero eſt Pater eius cæleſtis, qui ſponſione a filio ſuo ab æterno interpoſita adactus, in certo temporis complemento eundem ſuum miſit filium, natum ex muliere, eo ſine eoque conſilio, vt legis maledicto ſubditus, eos, qui ſub lege erant, ſoluto lytro redimeret, iisque filiorum ius & prærogatiuam compararet. (a) Eum autem hoc Paullino oraculo inprimis attendendum eſſe, non Iudam, non ſummos ſacerdotes, non Pilatum, ex ea ratione conſtat, quia Paullus expreſſe παραδόσεως illius CHRISTI cauſſam finalem addit, cum dicit, eum traditum eſſe διὰ τὰ παραπτώματα ἡμῶν propter lapſus i. e. delicta vel peccata noſtra. Hunc enim finem quum non intenderit, Iudas, non Pilatus, non ſummi ſacerdotes, ſed ſolus Deus, æternæ hominum ſalutis cupidiffimus: ſole meridiano clariuſ eſt, Deum quoque παραδόσεως Chriſti cauſſam fuiſſe efficientem primariam. IS enim volebat, filii ſui ſanguinem profundi, IS volebat eo profuſo placari. Quare cum ipſum in carnem mitteret, id intendebat, vt ſuus filius per mortem peccata hominum expiaret. Chriſti igitur, quatenus ille ſponſor erat, vadimoniumque ſe ab æterno promiſerat præſtiturum, iudex proprie dictus erat, qui eum in iudicium vocabat, vt ſponſionem pro hominibus interpoſitam daret impletioni. (b) Comparentem in diuino foro, iudex capitalis condemnabat ſupplicii, (c) irrogato ipſi ex hominum peccatis reatu tradebat eum in manus peccatorum, vt probro adſiceretur, ſpuit collutularetur, flagellis cæderetur, morti tandeni ignominioſe ſubiiceretur. (d)

Id autem fiebat, monente Paulo, διὰ τὰ παραπτώματα ἡμῶν, propter peccata noſtra. Notanter apoſtolus plurali vitur numero, vt indicet, Chriſtum morti eſſe traditum, non propter vnum alterumque peccatum actuale, ſiue veniale; ſed propter omnes noſtros lapſus vel defectiones a lege diuina. Non ergo excluditur peccatum originale, nobiſcum natum, noſtræ naturæ ad peſtis ac veneni inſtar, alte inharrens, praua hominis ad peccandum & a diuina lege deficiendum diſpoſitio, omnis aberrationis a diuina lege primum, quamprimum naſcimur, principium. Quemadmodum enim prudens medicus, non tam morbum ipſum in humano graſſantem corpore ſalutaribus adoritur medicamentis, quam morbi potius principium cauſſamque tollere ſtatigit, ſciens, ſublata morbi cauſſa tolli etiam eius effectum, ſeu morbum ipſum: ita quoque Deus, noſtros animi morbos, ex praua concupiſcentia oriundos ſanaturus, (e) non morbos tantum ipſos, ſed eorum etiam cauſſam ac principium tollere ſtudit, id eſt, non actualia tantum peccata, ſed originale etiam per filii ſui mortem expiari paſſus eſt. Notabile porro eſt, quod apoſtolus dicit, Chriſtum non propter ſua peccata, ſed propter aliena traditum mortis fuiſſe ſupplicio. (f) Inde enim concludimus: ſi Chriſtus propter lapſus noſtros ita traditus eſt, vt noſtri lapſus cauſſa fuerint promerens, ſequitur,

(a) Gal. IV, 4. 5. (b) Iſ. LIII, 5, voce שׁוֹד coll. Luc. XXII, 41. 44. (c) Hinc Phil. II, 8. dicitur γενόμενος ὑπὸ νόκου μέχει θανάτου. Vnde colligimus, Chriſtum id ſuſtinuiſſe ex mandato Patris, coll. Io. X, 18. (d) Luc. XII, 32. (e) Iſ. LIII, 5. (f) Ita enim τὸ διὰ vertendum eſſe, ſyntactica conſtructio docet.



quitur, vt Christus nostri personam, cum morti traderetur, sustineret, & quod inde porro consequitur, vt loco nostri traditus sit morti, quo nobis parceretur. Sed prius verum est, ex Paullino, quod tractamus, oraculo. Sequitur ergo, vt verum quoque sit posterius. Quod si ita est, porro sequitur, vt Christus ratione suæ mortis non fuerit merum exemplum, quod per nostri, omniumque huius seculi rerum, imo etiam vitæ nostræ abnegationem imitaremur, quemadmodum quædam e Socini schola propagines argute (scilicet) existimant: sed egregium etiam donum, quatenus ipse non passus est nos æternæ ob peccata nostra damnationi tradi, sed vices nostras in se suscepit ita, vt sibi peccata nostra eorumque reatus & poena irrogarentur, nosque a morte, pro peccatis nostris subeunda, immunes essemus ac liberi.

Alterum pronuntiatum de Christo est, καὶ ἠγέρθη διὰ τὴν δικαιοσύνην ἡμῶν, & *expergefactus est propter iustificationem nostri.* Dicit ergo apostolus, eundem IESVM CHRISTVM, qui propter lapsus nostros morti traditus sit, etiam *expergefactum* seu resuscitatum fuisse *propter iustificationem nostri.* In limine hic obseruamus, verbum ἐγείρωμαι formæ passiuæ, in sacris noui Testamenti paginis tum actiue, tum etiam passiuæ vsurpari. Actiuam significationem habet *Matth. XII, 42. c. XVII, 7. c. XXI, 11.* Passiuam notionem in plurimis locis, vna cum passiuæ forma retinet; quorum adductione, utpote superuacanea, superfedemus. Quæri igitur hic de iure posset, vter significatus huic verbo tribuendus sit hoc loco? Equidem non negamus, actiue de Christo posse dici, illum sua ipsius virtute e mortuis surrexisset; quandoquidem tum ipse Θεὸς ἀνθρώπος erat, qui, fieri non poterat, vt a morte teneretur; (a) tum etiam de se ipso dicit, se potestatem habere vitam dimittendi & recipiendi, quod quin fecerit, dubium non est. (b) Sed passiuam tamen actiuæ significationi hoc loco longe esse anteferedam, quas subnectimus rationes, nobis persuadent. Enim vero 1) verbum præcedens, cuius vim significatumque iam, quantum chartæ permittit angustia, exhaustimus, passiuam habeat notionem. Cum igitur de eodem Christo, qui dicebatur traditus fuisse, Paullina continetur oratio, hanc orationis continuationem de eodem subiecto ostendente particula καὶ, quæ vtrumque pronuntiatum de eo connectit; sequitur, vt, quemadmodum verbum præcedens passiuum significatum habuit, talis quoque significatus sit nec verbo ἠγέρθη abiudicandus. Tacemus verbum ἐγείρωμαι passiuam sæpius, quam actiuam habere significationem; a qua propterea non facile est discedendum. 2) notio passiuæ hoc loco, pro substrata materia, magis, quam actiuæ, est emphatica. Christus enim hoc loco in præsentem, quod Paullus commemorat, negotio, sub Patris sui, tanquam iudicis, spectatur iudicio. Quemadmodum igitur Christus ab eo morti traditus fuit, vi sponsonis a se interpositæ; sic idem recte censetur ab eo, perfecta lyeri solutione, præstitaque plenaria satisfactione, in vitam reuocatus, atque e sepulcri mortisque carcere esse dimissus, adeo, vt de eo Christi statu eleganter *Iesaias* præcinerit: *מֵעֵצֶר וּבְמִשְׁפַּחַת לֶקַח* *ex angustia & iudicio sumus est,* (c) id est, ereptus & dimissus est. (d) Quamobrem cum Christus e iudicio Patris sui, veluti iudicis, exemptus sit ab eodem

);( 3

eodem

(a) *Act. II, 24.* (b) *Jo. X, 17. 18.* (c) *Ies. LIII, 8.* (d) Ita, putamus recte posse ad sensum sanctissimi vatis explicari, vt Syrus illud in nouo Testamento *Act. VIII, 33.* explicatum



eodem iudice suo, qui ipsum morti tradiderat: sequentes veritates, solaminis plenissima, mensuris nostris tacite ab apostolo insinuantur: 1. Christum morte sua ac sepultura tam exacte satisfacisse diuinæ iustitiæ, vt etiam vltimum illius satisfactionis obolum soluerit; 2. Huius veritatis τεκμήριον esse longe certissimum, ac fallere nescium, quod a Patre suo in vitam reuocatus, illius ευδοκίαν in lytro a se perfoluto habitam, fuerit testatus. (a) 3. Christi resurrectionem esse solidissimum nostræ salutis ac peccatorum nostrorum remissionis fundamentum. Quod si enim hæc non contigisset, dubia nostra foret fides, imo, vt cum Paulo verius loquamur, plane inanis. (b)

Quare Paulus etiam hanc CHRISTI resuscitati causam addit: διὰ τὴν δικαιοσύνην ἡμῶν, propter iustificationem nostram. Notari autem hic meretur 1.) Christi resuscitationem non ipsius, sed nostræ causam factam esse. Apostolus enim non dicit καὶ ἠγέρθη διὰ τὴν δικαιοσύνην αὐτοῦ, sed διὰ τὴν δικαιοσύνην ἡμῶν. Quemadmodum scilicet Christus morti traditus est, non propter se, ac si ipse vel mortem meruisset, vel morte sua sibi aliquid acquisiuisset; sed propter nostros lapsus; sic etiam e morte resuscitatus est, non, vt ipse iustificaretur; sed vt nos iustificaremur, pro quibus mortem obierat. 2.) Paulum non dicere: διὰ τὴν δικαιοσύνην ἡμῶν, (c) ac si vel nos iustitiam habuissemus, quæ causa fuerit, quare Christus resuscitaretur; vel si non habuissemus, ea nobis infunderetur: sed dicere: διὰ τὴν δικαιοσύνην ἡμῶν. Nomen enim verbale δικαιοσύνης actum iustificandi notat, quo quis criminis reus iustus declaratur. Quare cum CHRISTVS resuscitatus fuit, id propterea factum est, vt nos iusti pronuntiaremur, vel vt nos iustos redderet, (d) hoc est, liberos ac immunes a poena; idoneos contra, qui in nouitate Spiritus incedentes, iustitiam quoque operantur.

At vero non sine ratione quaesuerit aliquis, vtrumne Christus etiam propter nostram iustificationem morti traditus sit? Nec de eo quis dubitet; quandoquidem CHRISTVS propter peccata nostra morti traditus, eorum poenam luit, ne peccatum nobis in diuino foro iustus declarandis, obfaret. Quando autem præcipue ac speciatim propter δικαιοσύνην nostram resuscitatus dicitur; id propterea contigit, vt nobis non quælibet, sed plenaria Christi imputaretur satisfactio. Traditus ergo morti est ob iustificationem nostram, respectu partis remotius in iustificationis negotio, consistentis in non-imputatione peccati, quæ dicitur debiti obliteratio, peccati que remissio; resuscitatus autem est ob iustificationem nostram, respectu partis postius, consistentis in plenarie satisfactionis ac meriti CHRISTI imputatione. Non autem sine causa apostolus Christi in mortem traditi causam

eam dedit: מִן תְּבוּשָׁתָא וְכֵן דִּינָא אִתְּדַבֵּר ex professione (obligatione) & ex iudicio auctus est. Qui autem ex iudicio sic ducitur, is e iudicio dimittitur liber, & ab vltiore poena solutus, LXX. Alexandrinorum ἡ κρίσις αὐτοῦ ἦρθη iudicium eius, seu de eo; sublatum est, eundem sensum inuoluit. Quod si enim iudicium de aliquo tollitur, ab eo vel strictissimum ius nil amplius potest postulare. (a) Io. X, 17. Id etiam luculentius dedit per ternum illud: ἐσθὲν ὑμῶν, Io. XX, 19. 21. 26. coll. Rom. V, 1. (b) I. Cor. XV, 14. 17. (c) Non ignoramus quidem, vnum e Stephani codicibus hanc lectionem exhibere. Cum autem plerique codices lectionem vulgarem tueantur, quæ δικαιοσύνην habet; nefas esse ducimus, lectionem vulgarem deferere. (d) Ita quoque Syrus reddidit: מִשַׁל הַדִּינָאן, propterea, vt iustus nos redderet vel declararet.



nam in peccatis nostris ponit; quia ea causa erant proxima, quare mortem pateretur; resuscitati autem causam in iustificatione nostri ponit, quia resuscitatio Christi, ex parte **ILLIUS** satisfactionis plenariae praestationem arguebat, ex parte **NOSTRIS** fiduciam certam atque indubiam excitare atque confirmare poterat.

Hæ autem veritates, sicut in sacris Novi Testamenti tabulis sunt confirmatissimæ, ita quoque a nobis agnoscendæ sunt, ut a nobis agnosci postulant. Non sufficit, si eas theoretice tantum sciamus, eisque, contra externos internosque Christi eiusque satisfactionis hostes, suffragemur ac fidem habeamus, in peccatorum autem dominio nostrorum seruiamus diabolo, mundo, prauis nostris cupiditatibus: sed requiritur potius, ut practice has ipsas veritates agnoscamus, hoc est cum studio & abnegationis, qua huic corrupto demorimur seculo, & renouationis, qua ex resurrectione Christi nostri vires desumimus, quibus valeamus in Spiritus nouitate cum Christo ambulare. Eo vero perueniendi practice agnitionis via nobis non panditur, nisi nostram miseriam, eiusque desperatam conditionem lumine diuino collustratis oculis inspiciamus, atque anxio sensu experiamur. Mens enim a Christo remota, eius amore cæsa, foedissimo peccatorum coeno ac volutabro inuoluta, delictorum causa suorum secunda, vel parum vel nil verius ex sacratissima hac doctrina euangelico-Paullina consolationis aut emendationis capit. Morbos suos non sentit, morsus mordentis suæ conscientia, eiusque adculpationes vel profus non perentiscit, vel si sentiat, nihili pendit, aut, qua est securitate obsopita ac sepulta, motus illos pulsantis diuinæ gratiæ, hominemque ad Dei tribunal citantis pro melancholicis reputat cogitationibus, vel tantum non ad diabolicas refert suggestiones. Quare mirum non est, si medicinam ad animi sui faciari sanationem facientem, non desideret, non querat, non adplicet. Contra vero, si conscientia suæ motus terrificos, adculpationes, imo iudicalem sententiam, qua morti traditur, experitur, sique sibi inexplebile æternæ damnationis barathrum inexhaustamque diuinæ iræ voraginem proponit, si Dei, iusti aliquando iudicis futuri fulminatricem intuetur faciem; non potest non fieri, ut ipsi hoc Paullinum effatum de morte Christi nostrorum causa delictorum suscepta, solatio sit ac tutissimo confugio, vel ut Paullus loquitur, (a) *πιστὸς λόγος, καὶ πάσης ἀνομοχῆς ἄξιός.* Tunc enim sua intime vulnera sentiens, nouit aliquem esse, ex cuius vulneribus sibi facta sit sanatio: (b) audiens conscientia suæ clamores & adculpationes, & condemnationes, & diuinæ legis execrationes, nouit aliquem, qui causam suam in diuino egerit foro: (c) quando inopiam suam sentit, nuditatem, cæcitatem, nouit aliquem, qui copia sua ac gratiæ diuitiis suam inopiam expleuerit, suam nuditatem iustitiæ toga vestiuerit, suam cæcitatem lumine diuinæ sapientiæ dispulerit: si imbecillitatem mens conterrita suam intuetur, ex misero suo statu per seipsam emergendi, vndeque sui sumat redemtionis pretium nescit; tunc hanc veritatem, quam Paullus proponit, ambobus amplexatur brachiis, indubitata se spe maectans, sibi quoque hoc solaminis accini: *Christus propter peccata etiam tua morti traditus est.* Id ergo nostrum quoque esto, in quo his sanctissimis feriis paschalibus occupati simus, primum negotium, ut mentis nostræ oculis Christum morti traditum ita contueamur, ut id nostri causa passum esse existimemus. Quod si expendimus sub studio precum, uti totius mundi, sic & nostro-

rum


(a) 1. Tim. 1, 15. (b) 1. Cor. 13, 5. (c) Ro. 11, 1.



rum grauitas peccatorum nobis obuerfabitur non otiosa, sed excitabit in mentibus nostris dolorem salutarem, ex sensu nostræ oriundum miseriæ, malefactorum poenitentiam, salutari contritioni iunctam, peccati odium, mali eurationem propositi. His autem in mentibus nostris excitatis, reuera peccato demorimur, id est, peccato omne in posterum denegamus obsequium, eique seruire amplius detrectamus. Qui enim fieret, ut peccatum semel nobis odiosum reddidit, nosque a Deo, tanquam summo separans bono, intolerabilique nos Dei iræ ac iudicio exponens, redamaremus? Qui fieret, ut id, quod nos ad cultum Dei digne præstandum ineptissimos dedit, exofculareretur, præcipue si pensitemus, peccatum fuisse nobis impedimento, quo minus nostræ Deo preces acceptæ fuerint atque exauditæ. Hoc ergo obtento, solamini quoque nobis erit Christi traditio; quandoquidem, dicente Paulo, ea contigit propter lapsus nostros. Quod si rite expenditur, nulla de salute recuperanda, de libertate a foedissimo peccati dominio impetranda, de mentis tranquillitate & pace cum Deo ineunda locum habet desperatio. Nouimus enim, existitisse aliquem, qui, ut nos saluos redderet atque ab æterno immunes interitu, legis maledictum, in peccatores pronuntiatum, in se suscepit, atque cum exquisitissimis corporis animæque suæ doloribus senserit; qui, ut nos a peccati dominio ac seruitute liberaret, ipse sponte sua euaserit seruus, uti nostræ culpæ, sibi impositæ, sic etiam nostræ poenæ, sibi inflictæ; qui, ut mentis tranquillitatem nobis restitueret, pacemque cum Deo denuo sanciret, ipse omnes diuinæ iræ ictus, omnia diuinæ maledictionis fulmina expertus sit. Hæc consideratio deinde priamam fidei scintillam excitat, per piam resurrectionis Christi meditationem ulterius sufflandam.

Quando enim mentes nostræ in poenitentiae agone constitutæ, ex Paulino hoc dicto norunt, Christum ex mortuis surrexisse, non male inde concludunt, quam Christus mortem subierit, quam præstiterit satisfactionem, quod pependerit redemptionis pretium, tantæ fuisse efficaciam, tanti valoris, ut Patris ira in gratiam fuerit conuersa. Quando tandem porro considerant, Christum resuscitatum esse propter sui iustificationem, plenos refumunt animos, plenam indispiscuntur fiduciam, ut ad filiorum instar, parentis cælestis faciem non metuant, sed eum, tanquam suum benefactorem, deque sui integrum restitutione optime promeritum, intrepida hilarique fronte intueantur. Hinc augetur conscientiam nostram tranquillitas, firmiterque euadit de pace nostra cum Deo fiducia: quæ, quin ulterius renouationis studium, sub spe vitæ æternæ, & suadeant & promoveant, nemo dubitauerit. Imo, si vltimus vitæ nostræ dies adpropinquat, peccatoribus terribilis; tunc nos putamus nostri adesse plenariam ab omni adiacente nobis malo liberationem ac redemptionem: hinc bonæ causæ freti fiducia capita nostra tollimus, lubentesque sponsulo nostro, in domum suam nos ducturo, expansis fidei nostræ velis occurimus, atque sub flagrantissimi eius osculo amoris, animam efflamus, mortuique victoriam de morte ipsa præclarissimam deportamus. Quod ut aliquando nobis contingat, id quidem est, quod a Deo Patre, Filio ac Spiritu Sancto, ardentissimis efflagitamus suspiriis! P. P. Halæ Magdeb. Iphis feriis Paschalibus

A. R. S. c15 l5 cc xxxii.





Ja 1586

ULB Halle

3

001 508 687




St

VD 78

VD 78









PROGR  
ACADEM  
P  
SIMON PE  
POTENTISSIMO POR  
BELLIC. AC DOMINIA  
CAMERALIVM PRO  
TVS IN I

CANCELL  
AC P

CIVIB

MORTIS ET  
C  
MED  
PASCHALIBVS

HA  
Typis IO. CHRISTI



29

VÆ

SER.  
S INTIMIS,  
CONOMICO  
CABINA-

RE

ONIS

co.

AM

25.)

gr. 1732.

